

enim meos libros mihi remisisti, ut à me emendarentur, ita & ad illum suos remitte: & quod culpabile videtur, in-
finua: ut ipse se, si in aliquo erravit, emendet. Tum præte-
rea & nos jam in multis exercuimus ingenium: & multa jam
nobis opuscula defudata sunt. Ille hoc primum propè opus
adiit, & fortasse compulsus: & nihil mirum si fluctuavit in
primis. Nec occasio derogandi Christianis captanda est: sed
emendationis utilitas requirenda.

Hæc si ad eum rescripsisses: nonne majorem gratiam &
ædificationem, vel ipsi, initia in timore Dei habenti, vel
cæteris legentibus præbuisses, quam nunc istæ tuæ invectivæ
mæoris & confusions omnibus timentibus Deum præstant:
qui & in te fœdissimam obrectandi libidinem, & in me res-
pondendi necessitatem miserabilem vident. Si enim, ut dixi,
de tuis libris contra Jovinianum scriptis, nunc eadem quibus
illum arguebas, ipse inveniris asserere: nunc vero in tantum
prolaberis, ut sordes nuptiarum, nec martyrii cruore dilui
posse confirmes: & illud quod est Manichæorum dogmatis,
emendationem tibi habere facilè visum est in his libris quos
jam edideras, & describendos plurimis præberas: quid erat
difficultatis, me non meum opus, sed interpretationem alieni
operis, si quid forte in eo erratum, non ratio, sed livor
suggererat emendare: maxime cum adhuc esset in schedulis,
quas nondum ad plenum relegeram vel explicueram, quas
non editas invenerunt? Nonne perfacilè emendari poterant
ea, quæ adhuc emendata non fuerant: Verum non hinc,
ubi quod culparet nihil habebat: sed totum inde mordetur:
dum per hoc prodi timuit: unde est omne quod ipse dicit: un-
de doctus, unde scripturarum videtur interpres.

Sed ideirco causam qua ad interpretandum adductus sum
exposui: ut sciat me hæc non contentione (ut ipse agere so-
let) vel emulatione aliqua protulisse: sed necessitate, qua
superius edocui, ad boni & utilis operis instrumentum: ut
aliquid ex hoc vel ordinis vel coloris acciperet ille, qui ru-
dis ipse opusculum condebat antiquum. Aut non videmus ve-
tustas aedes novellis ædificiis profuisse? Et interdum assumitur
lapis de abditis & abstrusis antiquæ domus partibus, qui novæ
domus frontem decorat, & exornat ingressum: & interdum
totum novellæ constructionis ædificium, unius antiquæ trabis
stabilitate munitur.

Agamus ergo nunc adversus eos, qui veteribus rectè
utuntur in novis: non vobis licet, dicentes, transferre ma-
teriam de veteri domo ad novam: nisi tignum tigno, & la-
pidem lapidi junxeritis, nisi porticum de portico, nisi mem-
brum de membro: & hoc fieri non poterit, nisi secessum
de secessu, nisi cloacam de cloaca transfuleritis. Habere enim
domum magnam etiam hæc necesse est. Hoc namque est ver-
bum transferre de verbo: quod à te ante improbabile, nunc
vero probabile judicatum est. Sed tu quidem tibi & quæ non
licent, licere defendis: nobis autem quæ licita sunt impingis
ad crimen. Nam tu cum sacras literas & volumina divina
permutas, laudari vis: nos etiam si te imitantes de hominum
sermonibus aliquid, quod minus ædificare credidimus, præ-
terimus, in his nobis veniam non das, in quibus exemplum
dedisti.

Verum agat hæc iste, ut sibi vel licere vel expedire putat.
Ego interim, ut recenseamus in fine, ea quæ sparsim pro no-
stra purgatione respondimus, cum de me dixerit quasi sine
se hæreticus esse non possem, ostendi fidem meam: & de re-
surrectione carnis ipsum magis errare, qui corpus quod re-
surrecturum est, fragile esse scripserit, comprobavi. Sexus
quoque diversitatem quomodo abraferit, & corpora in ani-
mas, & mulieres redigi in viros dixerit, docui: meæ quo-
que interpretationis causas, ut puto, justissimas protuli: quod
non vel contentione excitatus, vel gloria cupidus: sed Dei
timore provocatus, antiquæ materiæ transvexerim copias,
novellæ constructionis ædificiis profuturas, & tela vetera ru-
bigine jam obducta deterferim: non ut civile bellum move-
rem, sed ut hostile depellerem. Ipsum etiam caput cui manus
fallaciar injecerunt, inferui: & adulterium blasphemiar in Fi-
lium Dei & Spiritum sanctum, alienum à meo nomine, sed
iporum scelere, & ab ipsis docui esse commissum.

In singulis quoque, de quibus se ideirco Origenem argue-
re dicebat, ut nos pulsare se crederet, & infamare opus tran-
slationis nostræ, ostendi ex ipsis commentariis suis: ex quibus
fidem suam expectari debere dixerat: & probari, quod & de
animæ statu, & restitutione omnium, de diabolo atque an-
gelis refugis, eadem quæ in illo culpat, ipse conscripserit. Sed

Calumniæ
perpetua.

Falsus &
fatuus hic
Ruffinus.

Capita cri-
minationū

& quod animæ in corpore hoc vincat velut in carcere tene-
rentur, ipsum dixisse, convici. Unum quoque esse corpus
totius creaturæ rationabilis: id est, angelorum & animarum,
in his ipsis eum scripsisse commentariis, approbavi.

Perjurii etiam confederationem, apud nullum ita, ut
apud ipsum, ostendi sacratissimam converteri. Veritatem
adaque, & perfectiorem doctrinam non esse omnibus publi-
candam: in ipsis commentariis ipsum docere convici. Tum
inde sæculares libros, pro quibus sedenti seque verberanti pro
tribunalibus Christo dixerat, si unquam legero, vel habuero
gentilium codices, te negavi: nunc non solum legere vel
habere: verum etiam omnem suæ doctrinæ jactantiam in his
eum gerere demonstravi: in tantum ut etiam per flagoriam
impiissimi Porphyrii inductum se esse gloriatum ad logicam.
Et cum gentilium dogmata esse diceret quoquo modo sen-
tire, vel de anima, vel de cæteris creaturis: ipsum multo
fœdissimè gentilibus dixisse, quod Deus socrum haberet,
ostendi.

Sed & cum se dixisset in duabus tantum præfatiunculis
Origenis meminisse, ut ingeniosi magis quam Apostolici viri:
brevitatis causa decem solas præfatiunculas protuli: in quibus
eum non solum, ut Apostolicum virum, sed alterum post
Apostolos Ecclesiæ magistram, & quod eum cum omni-
bus prudentibus sequeretur asserui. Præterea evidenter ostendimus,
ex more huic esse ut bonis omnibus derogeret: & in hoc
se putet aliquid esse, si opinatos quosque viros, & qui aliquid
nominis in literis habuerint, reprehendat.

Ostendi etiam quam indignè ministros & sacerdotes Chri-
sti laceraverit. Sed ne monachis quidem ac virginibus ipsis
quas laudaverat, vel continentibus pepererit: atque omnem
Christianorum ordinem & gradum libellis fœdis infamaverit.
Sanctum quoque virum Ambrosium, cujus adhuc præclaræ
vitæ memoria in animis omnium viget, quam indignè &
turpiter laceraverit. Didymum etiam quem dudum inter vi-
dentes Prophetas & Apostolos posuerat, nunc inter eos qui
diversa ab Ecclesiis doceant, collocavit: & omnes omnino
vel antiquos vel novos scriptores, quos nunc imperitiæ,
nunc ineptiæ notet, ad ultimum quod nec martyribus parcat:
& hæc omnia ut superius dixi, non extraneis aliquibus, sed
suis literis, & scripto teste convici, per singula quaque ex his
ipsis probatissimis sibi libris testimonia proferens: quos libros
etiam cum de cæteris omnibus dictis vel scriptis suis penitere
se dicat, non quo verè peniteat, sed quo angustatus in hoc
venerit, ut aut penitentia sibi esset simulanda, aut non pos-
set mordere vel lacerare quem vellet: illos tamen ut dixi, li-
bros sibi excepit solos, tanquam minimè penitendos. Et ideo
nolui ejus nunc cætera scripta contingere, ut de istis pene so-
lis convinceretur: de quibus ipse sibi jam locum clauserat
penitendi.

Post omnia vero ostendi, quod sacros libros, quos Apo-
stoli Ecclesiis tanquam Spiritus sancti fidele depositum com-
mendaverant, permutaverit: & quod is qui audaciam notet
in hominum opusculis vertendis, ipse majore piaculo eloquia
divina permutaverit.

Superest jam ut unusquisque qui hæc cognoscit, tali ju-
dicio favorem suum alteri nostrum conferat, quali judicio se
à Deo cupit ipse judicari: nec suam lædat animam, dum
alteri favorem præstat injustum. Cognoscat etiam per te fili
charissime Aproniane, sanctus vir ille Pammachius, cujus
Epistolam amicus meus in invectione vel accusatione hac sua
protulit, in Christi adjutorio, non studiis, sed innocentiar
favendum: nec in causa veritatis studiose agendum esse magis
quam religiose. Præceptum est enim Domini: ut non secun-
dum faciem, sed rectum judicemus judicium. Quia sicut in
unoquoque minimorum suorum Christus est: qui esurit & sitit
& nudus est, & ipse est qui reficitur & induitur: ita in his
qui judicantur injuste, ipse est qui inique judicatur. Et pro
his qui odio habentur gratis, ipse dicitur esse, odistis me gra-
tis. Quomodo æstimat hanc causam & hoc factum suum, in
tribunalibus Christi judicandum, cum habet sua conscientia
quod codices illius contra Jovinianum scriptos, qui jam pu-
blicè legebantur & reprehendebantur, subtraxerit de mani-
bus legentium: & culpantes prohibuerit atque culpaverit:
remiserit vero ad ipsum autorem libros suos: insinuans ea
quæ ad reprehensionem venirent: ut vel emendaret, vel rem-
quoquo modo polleret, curaret. Meos vero non codices, sed
schedulas imperfectas, inemendatas, furto cujusdam nebu-
lonis & fraude subtractas, sibi que delatas cum me inibi ha-

Calumniæ
mera.

Capit fa-
vorem
Pammachii
Ruffinus.

Exemplaria
librorum
contra Jo-
vinianum
Pamma-
chius sub-
traxit &
misit ad
Hierony-
mum.

beret præsentem, mihi quidem non offerret neque con-
quereretur: sed ne increpare quidem, aut etiam arguere di-
gnaretur: vel per amicum certe aliquem, aut etiam per ini-
micum: sed ad Orientem mitteret & instigaret linguam
ejus hominis qui eam temperare non noverat. Quid contra
religionem faceret, si me præsentem potius convenisset: in
tantum ne colloquio ejus videbamur indigni, ut ab eo nec
argui mereremur: Et pro nobis Christus mortuus est: & pro
nostra redemptione sanguinem suum fudit. Peccatores qui-
dem: sed de ipsis grege fumus, & inter ejus oviculas nume-
ramur. Verum quia propter Deum contempsit nobilitatem
suam, & totum se exæquavit humilibus, optimumque opus
ejus in fide Christi, & quod exemplo cæteris esse debeat,
confitemur: ideirco nolimus eum humanis studiis, con-
tentionibusque raptari: ne in aliquo fidei suæ sentiat detri-
mentum.

Certe cum legerit, quod ea ipsa de quibus cæteros arguit
magister ille Hieronymus, in ipsius electis etiam post pen-
itentiam commentariis docuerit, quod sua non sint: quam
verum judicium servet, videbimus. Putabitur enim prior
error fuisse ignorantie, si eum emendaret agnitio. Nos autem
quamvis necessitate compulsi, respondere nisi sumus ei, qui
nos amarissimè pulsaverat: attamen pro hoc ipso veniam pe-
timus, si quid forte alperius profecuti sumus: quia Deus
conscientiæ nostræ testis est, quod multo plura reticimus
quam protulimus: penitus autem silere contra conscientiam
criminanti, minimè potuimus: cum ipsius pene fidei suæ, non
nulli jacturam ducerent silentium nostrum.

Posteaquam ista dictavi, frater aliquis qui ex urbe à vo-
bis ad nos venerat, cum relegendi mihi assisteret, ait, præ-
termisissimè unum adhuc exultationis locum, quem ibi audis-
set ab obrectatoribus inculari. Dicebat autem de eo quod
scriptum est in præfatiuncula mea, quia dixerim de isto qui
me nunc persequitur & accusat, quod in his quæ de Origene
interpretatus est, nonnulla offendentia esse videantur in Græ-
co: quæ ita tamen interpretando purgaverit, ut nihil in his
quod à fide nostra discrepet, Latinus sermo inveniat. Aiunt,
inquit, de hoc capitulo:

Vides quomodo & collaudavit interpretationem ejus: &
testimonium ei dedit ipse, quod sine offendentia sint ea,
quæ ille interpretatus est: & ipsum secutum se esse pro-
misit. Cur ergo non & ea quæ ipse transtulit absque offensi-
one sunt, sicut ipsius scripta esse ipse testatus est? Non mira
res, quod ibi semper culpari mereor, ubi istum laudavero.
Et rectè quidem.

Tamen veniamus ad rem. Dixi eum purgasse in Latina
translatione, si qua offendentia fidei videbantur in Græco:
& non immerito: ita tamen ut eadem etiam à me compro-
bem gesta. Nam sicut ille in homiliis de Isaia duo Seraphim,
& Filium & Spiritum sanctum esse interpretatus est: & addens
de suo: nemo existimet in Trinitate naturæ esse differentiam,
cum nominum discernuntur officia: per hoc curare se offen-
dicula credit potuisse: ita & nos vel ademptis, vel immu-
tatis quibusdam, vel additis, sensum autoris adducere conati
sumus ad intelligentiæ tramitem rectiorem. Quid hic diver-
sum, aut quid contentarium, aut quid non idem fecimus?
Sed quia ego de scriptis illius absque malitia & calumniæ ju-
dicabam: non quid obrectationi pareret: sed quid prospere
fuerit interpretantis, aspexi. Ille autem qui occasiones
ad calumniam querit: ea reprehendit in meis scriptis, quæ
ante me prior ipse conscripsit. Et revera ego culpandus sum,
si secundum meam quidem sententiam, quæ scripsit recta
sunt: secundum suum vero judicium condemnanda.

Hoc quantum ad Trinitatis fidem pertinet tibi utique blas-
phemiar crimen ducitur: quod dixit duo Seraphim, Filium
esse & Spiritum sanctum, si secundum suam sententiam,
qua adversum me agit, ipse judicetur. Secundum vero meum
judicium quod in scriptis ejus absque proposito calumniæ ju-
dicavi, absolvitur: pro his quæ de suo ad explanandum sen-
sum autoris adjevit.

De resurrectione autem carnis puto in translatione nostra
eadem contineri, quæ in Ecclesiis prædicantur. Cætera vero
quæ de creaturarum rationibus dicta sunt, quod nihil ad
fidem deitatis pertineant, jam superius diximus. Sed si iste
hæc modo ad calumniam vocat, quæ ante offendentium non
habebant, non prohibeo: si ei placeat provocare sententiam
meam illam qua potuisset absolvi: & proferre suam, qua
debebat alligari. Non ergo mea de eo sententia culpabilis

Linguae
parcere non
poterat
Hierony-
mus, si cre-
dimus ini-
mico.
Ruffinus
Romæ præ-
sens.

putanda est, sed sua, quæ reprehendit in aliis quod in se-
metipso probat.

Novum autem hoc judicii genus est: ubi accusatorem
meum ego ipse defendo: & ubi tum demum me ille supera-
tum putat, si semetipsum reum probavit. Verumtamen po-
namus quod Episcoporum synodus sequatur sententias tuas:
& jubeat omnes libros, qui hæc talia continent cum auto-
ribus suis, ut aiunt, debere damnari: Damnabuntur isti libri
prius in Græcis: & quod in Græcis damnatur, sine dubio
damnatum est in Latinis. Veniatur ad tuos libros, invenien-
tur eadem continere secundum sententiam tuam, necesse est
ut cum suo autore damnentur. Et sicut nihil profuit Origeni,
quod à te laudatus est: ita nec tibi proderit, quod à me excu-
satus est. Me enim sequi necesse est Ecclesiæ Catholicae sen-
tentiam, sive adversus Origenis libros, sive adversus tuos da-
tam.

AUGUSTINUS HIERONYMO, DE EO
quod scriptum est, Qui totam legem servaverit &c.

QUOD ad te scripti honorande mihi in Christo frater
Hieronyme, quærens de anima humana, si nascentibus
singulis, novæ singule nunc usque fiant, ubi peccati vin-
culum contrahunt: quod per sacramentum gratiæ Christi,
etiam in infantibus recenter natis solvendum esse non dubi-
tamus: cum in non parvum volumen procederet, nolui ulla
alia onerare questione: sed quod urget acris, multo minus
est negligendum. Proinde quæro, & per Deum obsecro: ut
exponas mihi quod multis existimo profuturum: aut si jam
vel abs te, vel ab alio aliquo expositum habes, dirigas nobis,
quomodo accipiendum sit, quod in Epistola Apostoli
Jacobi scriptum est: *Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: quæ res ta-
lis ac tanta est: ut quod hinc tibi non jam olim scripsi, mul-
tum me peniteat. De agenda namque præsentis vita, quo-
modo ad vitam perveniamus æternam: non de præterita
perferenda, quam penitus demerit oblivio, sicut est illud
quod de anima querendum putavi: hæc vertitur questio.
Eleganter autem dictum esse narratur: in quod huic rei satis
apte convenit. Cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua
tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam
suffocaret ne loqueretur: accessit alius & eo viso admirans,
ait: Quomodo huc cecidisti? At ille: Obsecro, inquit, cogita
quomodo hinc me liberares: non quomodo huc ceciderim
queras. Ita quoniam fatemur, & fide Catholica tenemus,
de reatu peccati tanquam de puteo etiam parvuli infantis ani-
mam Christi gratia liberandam, satis est ei quod modum
quomodo salva fiat novimus, etiam si nunquam quomodo in
malum illud devenerit, noverimus.

Sed ideo putavi esse querendum: ne forte ex illis opinio-
nibus incarnationis animæ aliquam teneamus incautum, quæ
liberandam potius animam parvuli contradicat: negans eam
esse in isto malo. Hoc igitur firmissimè retento, quod anima
parvuli de reatu peccati liberanda est: nec alio modo liberan-
da, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum:
si possumus etiam ipsius mali causam & originem nosse, vani-
loquis non disputatoribus, sed litigatoribus paratius instru-
ctiusque resistimus. Si autem non possumus, non quia lateat
miseriæ principium: ideo pigrescere misericordiar debet offi-
cium. Adversus eos autem qui sibi videntur scire quod nesci-
unt: hoc tutiores sumus, quod hanc ignorantiam nostram
non ignoramus. Aliud est enim quod nescire malum est:
aliud quod sciri vel non potest, vel non opus est, vel ad vi-
tam quam quarimus, indifferens est. Hoc vero quod de
literis Apostoli Jacobi nunc requiro: in hac ipsa qua vivi-
mus, & ut semper vivamus Deo placere studemus actione
versatur.

Quomodo igitur intelligendum est obsecro te: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*? Itane qui furtum fecerit: imo vero qui dixerit
diviti, sede hic: pauperi autem, tu ista illic, & homicidii,
& adulterii, & sacrilegii reus est? Quod si non est: quomo-
do qui in uno offendat, factus est omnium reus? An illud
quod dixit de divite & paupere, ad ista non pertinet: quom-
rum si quis in uno offenderit, factus est omnium reus? Sed
recolendum est, unde venerit illa sententia, & quæ illam
superiora pepererint: quibusque connexa dependeat. Fratres
mei nolite, inquit, in personarum acceptione habere fidem